

ut hinc quoque aquæ potissimum vires & nomen obtineant; quemadmodum e contrario olea destillata, tanquam Θ ia volatilia in particulis Δ eis concentrata, parcissimam aquam habent, adeo ut vix ullum ejus vestigium deprehendatur, nisi arte prius separetur & demonstretur. In spiritibus vero ita temperata & inter se modificata hæc principia existunt, ut aquæ quidem partes quantitate superare videantur, Θ inæ tamen & Δ eæ nihilominus viribus longe prævaleant.

Thef. 3.

Ab aliis quidem his Spirituum elementis additur quoque Mercurius, tertium vulgo Chemicorum principium, cui præcipuam olim inter mixta volatilitatem, mobilitatem & penetrabilitatem tribuebant veteres, sed quoniam his omnibus vel solus æther, omnibus corporibus, adeoque & spiritibus ubivis intime perfusus sufficit, neque diversum ejusmodi a reliquis principium unquam in Chimia fuit visum, merito, uti e numero principiorum chemicorum, ita quoque a Spirituum elementis hodie excluditur. Eo ipso tamen patet, quod ætheris substantia eo minus abesse hic possit, quo magis hodie summa & incredibili sua tenuitate, mobilitate & elasticitate omnia penetrare, replere, actuare & agitare deprehenditur, uti notum ex physicis.

Thef. 4.

Atque horum ingredientium beneficio sunt & dicuntur merito Spiritus liqvores summe volatiles & mobiles, quorum partes æque Θ inæ ac Δ eæ, imo & aquæ tenuissime divisæ, attenuatæ ab accedente & transeunte aere, vel æthere semper agitantur, & ubi liberius spatium datur, in auras abripiuntur, adeo, ut quævis etiam latibula & poros angustissimos quærant & transeant, instar fere substantiæ immaterialis, indeque vix, nisi solidissimis receptaculis coercendi. Habeant licet diversi Spiritus diversos etiam volatilitatis gradus, neuter tamen eorum reperitur, qui non ad minimum volatilitate ita excellat, ut ob tenuitatem partium ab igne, vel aere solum promptissime commoveri possit, cum iisdem fluat & in auras avolet.